



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Gratiæ præstantia. Ex Veteri, Novo. Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

In veritate didici; nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam; quàm si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. S. Bernardus f. 54. in Cant.

Sitis est appetitus (teste Aristotele) frigidi, & humidus. Quid est ergo sitire, nisi gratiam appetere; per quam concupiscentia infigitur, & lacrymarum abundantia provocatur. S. Bonavent. f. 10.

Divina gratia tribus hominum generibus maximè datur: scilicet obedientibus, divina sapientibus, & proximo compatiens. Idem f. 16. de S. Steph.

Tantò aliquis magis spiritualibus donis repletur, quantò magis à carnalibus separatur. Sanct. Thomas Aqu. Opusc. 9. t. 2. cap. 37.

Sicut in naturalibus formæ infunduntur secundum dispositionem materiæ; ita DEUS gratuita dona largitur. Idem in Psalm. 1.

Omnes indigent misericordiâ CHRISTI; non tamen omnes præparant se ad illam suscipiendam; oportet enim miseros se ad misericordiam præparare. Simon Cass. l. 5. cap. 13.

TITULUS V. GRATIA HABITUALIS.

§. I.

Symbola.

DEt tibi Deus de rore calii. Gen. 27. 28. Est rationali creaturæ ros coeli non aliud, quàm gratia Spiritus Sancti, quæ peccata remittit. Rupertus l. 7. cap. 17. in Gen.

Lumen vultus sui. Ps. 4. 7. id est, ratio. Vultus Dei dicitur ratio; & lumen hujus vultus est gratia. Quia, sicut moneta est informis, donec imago Regis ei imprimatur; ita ratio deformis est, donec per gratiam Dei illustretur. Ratio enim est imago Creationis; sed gratia Dei est imago recreationis. Hugo Card. hic.

Musci morientes, id est, peccatores, perdunt suavitatem unguenti. Eccl. 10. 1. id est, divinæ gratiæ, quod inungitur anima ad sanitatem, ad dignitatem, ad speciositatem, ad fragrantiam, ad suavitatem. Idem hic.

Pulchra ut luna. Cant. 6. 9. Ut quid dicitur anima pulchra, non ut sol, sed ut luna? nisi ut scias, pulchritudinem gratiæ non tantum à te non esse, sed à Deo; quod humilitatem commendat. Sed etiam, quamdiu in hoc exilio degis, inesse tibi mutabiliter, & amissibiliter. Qui hodie es pulcher, cras poteris esse sordidus; & qui modò es lucidus; postea fortitan fies tenebrosus. de Ponte hic Exhort. f. 5.

Computrescit jugum à facie olei. Il. 10. 27. Jugum à facie olei computrescit: quia dum Spiritus S. gratiâ unguimur, à captivitatis nostræ servitute liberamur. Dumque maligni Spiritus dominatio superba repellitur, jugum conteritur, quò libertatis nostræ colla premebatur. Sanct. Gregorius Mor. l. 10. cap. 11.

Vendit universa, quæ habet. Matth. 13. 44. Cur ad emendum agrum, non aliqua, sed universa sua vendit homo? Thesaurus fides, gratia, Deique amicitia; ob cuius æstimationem homo cætera spernit. Sylveira hic.

Inveni drachmam. Luc. 15. 9. Gem-

ma pretiosior in totò orbe fingi non potest, gratia divinâ. Hæc quondam à genere humano perditâ, à quo in cassum, nec sinè lacrymis, quaesita frustra fuit. Sed tandem mulier obtigit eam invenjendi felicitas: *invenisti gratiam.* Ludolphus p. 1. c. 3. gratiam, quam Eva perdidit, MARIA invenit. Segneri f. 40. in festo B. V. Annunt. Drachma hæc Dei gratia est: ea sola tam sollicitè invelligatur; cæterarum præ hac ratio nulla habetur. S. Greg. Niss. lib. de virgin. c. 12.

Vinum non habent. Joan. 2. 3. Vinum defecit: quia collatæ gratiæ beatitudinæ privata est miserabilis natura hominis S. Rupertus lib. 2. h. c.

Sic eum volo manere. Joan. 21. 22. Dicit Christus de quolibet, quod de Joanne: *Sic eum volo manere*; scilicet in bona vita, *donec veniam.* Qui existit in gratia, dicitur Joannes. Sanct. Vincentius Ferr. D. infra Oct. Epiph.

Dabo illi stellam matutinam. Apoc. 2. 28. Stella matutina est gratia sanctificans; eum qua advenit Spiritus Sanctus. Richardus à S. Victore.

Peccatum est arbor mortis: gratia est arbor vitæ. S. Bonav. f. 2. hexam.

§. II.

Gratia præstantia.

Ex Veteri.

SCIT enim Deus. Gen. 3. 5. Nota: diabolum inter omnes creaturas primò DEUM nominasse; sicut hic habes; & in Evangelio Marci 1. 24. primò vocavit *JESUM Nazarenum.* Cur permisit Deus, ut tam perversa creatura abominabili ore suò prima divinum illud nomen proderet. Respondet Lippom: id factum, ut nobis indicaretur, non magni facienda gratias, quæ non habent eam comitem, quæ reddimur amici Dei. Quid refert multa de Deo loqui, si ejus gratiâ excidisti, de quò tantaloqueris. Didacus Niss. f. 6. D. f. Quadr. §. 8.

Homi-

Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Gen. 13. 10. 13. *Universa regio, irrigabatur sicut paradisus Domini.* q. d. parum illis proderat ubertas patris soli, & bonorum temporalium incredibilis affluentia; quibus maxima opulentia deerat, scilicet gratia Dei. Omnia bona, & mala, ad unum gratiæ bonum, & culpæ malum, revocantur. Didacus Nissl. Vit. Abrah. l. 2. c. 6.

Non est Deus tecum. Deut. 31. 17. Deus in omni re est; sed non cum omni re. Esse quidem Deum in re, est, esse ipsum per essentiam, per potentiam, præsentiam in re. Esse verò cum re, est, esse in re per gratiam. Hugo Card. hic.

Tenui cum, nec dimittam. Cant. 3. 4. Mater nostra est gratia Spiritus, quæ spiritualiter nos generat; cujus domus est humana mens, in qua eadem gratia suscipitur. Richardus à Sancto Viç. in appendice in Cant. cap. 6.

Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Eccli. 24. 29. Et Joan. 4. 13. dicitur: *Omnis qui bibit ex aqua hac, non sitiet iterum.* Quomodo hæc conveniunt? Albertus M. Carthus. Bonav., Lyranus, respondent: triplex est desiderium. 1. Rei non habitæ, ut habeatur. 2. Rei habitæ, ut conservetur. 3. Rei habitæ, ut augeatur. Dum ergo dicit Ecclesiasticus: *qui bibunt me, adhuc sitient*; est secundò, & tertio modò: quia iustus maximè desiderat conservare Dei gratiam, & in charitate erga Deum crescere. Christus D. autem loquitur de primo desiderio, & sui: nam qui semel accipit in se Spiritum Sanct. non habet necesse illum iterum recipiendi nisi per peccatum expellatur. Sylveira in Joan. 4. q. 21.

Regnum tuum transibit à te. Dan. 4. 28. Regnum ab unoquoque transit, quando gratiam sibi divinitus collatam amittit; per quam desideris, & passionibus, suis dominari consuevit. Richardus à S. Viç. de erud. inter. hom. l. 2. c. 38.

Ex Novo.

Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire? Joan. 3. 4. Non in ventrem matris suæ, sed in fontem gratiæ Dei, potest homo introire, & denuò nasci. Alias autem, & verè, in ventrem matris suæ rursus ingreditur; quando in sinum huius gratiæ verà fide reducitur. Mater enim nostra gratia est. S. Rupertus l. 3. hic.

Habet vitam æternam. Joan. 5. 24. Scilicet vitam animæ. Dicit *habet*: quia inchoativè in vita præsentì habetur vita æterna. Gratia enim, seu charitas, vivere in æternum, inchoat in anima. Cajetanus hic.

Prophetavit. Joan. 11. 51. Non est in gratijs numerandum, quod non habet adjunctam gratiam Dei. Caiphas fuit propheta re-

demptionis humanæ. Sed quid illi gratiæ delictuto hæc prophetia ad salutem profuit? Didacus Nissl. f. 6. D. 5. Quadr. §. 8.

Manete in me. Joann. 15. 4. Quid est? nisi manete in gratia mea. V. Beda hic.

Ex Patribus, & aliis.

Meliùs est mihi non esse; quàm sine JESU esse: meliùs est, non vivere; quàm vivere sine vitâ. Sanct. Augustinus Medic. cap. 39.

Ut Gehennam timere non debemus propter ignem illum inextinguibilem, & penas terribiles, & perpetuos cruciatus; sed quia offendimus tam bonum Dominum, & ab illius gratia sumus alieni: ita & ad regnum nobis festinandum, non nisi propter amorem in illum, ut ejus gratiâ fruamur. Nam ut regnò desiderabilius est, misericordem Dominum nostrum benevolam esse nobis; ita gehennâ gravius, ab illius benevolentia excidere. S. Chrysost. hom. 23. in Gen.

Maxima securitas, & inexpugnabilis murus, est gratia Dei. Idem hom. 46. in Gen.

In eo, quod participamus per gratiam, quod ipse Deus habet per naturam; meritò nuncupamur dij. S. Laurentius Just. l. de cont. Mund. c. 10.

Magnam gratiam homines apud DEUM habent, si medietatem eorum, quæ pro gratia Mundi expendant, pro gratia Dei expendunt. Sanct. Thomas Aquin. opusc. 38. c. 11.

Gratia est primum inter dona Dei: quia per eam justificatur impius Rom. 3. 24. *justificati gratia per gratiam ipsius.* Pax autem est ultimum, quod in beatitudine perficitur. Psal. 47. 14. *qui posuit fines suos pacem.* Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni. S. Thomas Aquin. ep. ad Rom. Lect. 4.

Summum bonum in vita dixit Epicurus, voluptatem corporis; Stoicus timorem mortis; Peripateticus virtutem mentis; quod secus est à veritate. Summum enim bonum in vita, est gratia Dei per JESUM Christum. Blesens. l. 30. in festo S. August.

Non est, corrigiam calceamenti perdere, gratiam Dei amittere. Thomas Kemp. serm. 8. de aurea corona in cap. S. Agnet.

Nullus potus dulciior gratiâ Dei. Idem conc. 19.

Gratia est nodus Dei, & hominis; est dulcis amplexus divini spiritus, & humani. Nierenbergius l. 4. de arte volunt. cap. 68.

Vide apud eundem plura de præstantia gratiæ divinæ, de ador. in Spir. l. 1. cap. 12.

—§(O)§—